



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Seccingense Collegivm, Canonicoꝝ & nobilium Virginum Canonissarum
in Germania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

narrat Stephanus Pighius, Canonicus Sanctensis, in Hercule suo Prodicio, à Plantino Antuerpiæ excuso.

SECCINGENSE COLLEGIVM, CANONICORUM & NOBILIVM VIRGINVM CANONISSARVM IN GERMANIA.

SEcanis vel Secanica insula in Rheno sita, à secato Rheno dicta putatur. Seccingen-
se cœnobium, à *S. Fridelino* Scotorum & Hi-
bernix Regis filio, Philosophix studijs præ-
clarè imbuto, & Ecclesiasticæ vitæ inprimis
studioso, petegrinatè plantandæ religionis &
propagandi Christianismi ergò inchoatum
est, anno Domini 495. confirmatumq; à Re-
ge Galliarum Clodoueo. Docuit Fridelinus
iste circumquaque in Gallijs, tandem Picta-
uiam venit ad *S. Hilarium*, vbi postea in eiuf-
dem cœnobio pater monachorum exstitit, &
S. Hilarium è terra leuauit, ac magnificum
ibi cœnobium Clodouei subsidijs erexit. Dis-
cedens postea inde in Belgicum, primùm ad
Mosellam venit, à quo anno non procul rur-
sus in honorem *S. Hilarij* aliud monasterium
inchoauit, quod hodie Hilariacam vocatur,
idque *S. Naboris* cœnobium esse existima-
tur. Relinquens verò & hunc locum, paulò
post in Vosagi altis cacuminibus templum e-
tiam *S. Hilarij* erexit. Venit autem & Argen-
tinam, ibique simile templum condi curauit.

B

Inde

Inde per Burgundionum prouincias ambulans, ad curiam Rhetorum venit; vbi rursus S. Hilarij nomine Ecclesiam construxit. Postremò autem in Augiam Seccingensem venit, vt in ea etià insula ædiculam cõderet, sed ab habitatoribus deprehensus, virgis cæsus, & ex insula eiectus est. Venit igitur ad Regē Clodoueam, cui concionans aliquoties, mox ab eo totius insulæ donationem liberriam impetrauit. itaq; postea in ea habitauit, orans ibi, & collectis aliquot discipulis sacras litteras explicans. Rége sublato, cœperunt iterum accolæ eiusdem insulæ tumultuari aduersus virum Dei: tum vt se se muniret contra tumultuantium vim & illatas toties iniurias, Rhenū ex dextero & veteri alueo precibus ad Deum fuis in sinistrum cõiecisse legibus, ac ita tutum sibi fecisse receptaculum. Hoc ipso miraculo omnium incolarum animos in sui admirationem atque amorem pellexit. Postea piarum & in Christo erudiendarum Virginum domicilium condere cœpit. Fuerunt autem ea ipsa tempestate duo Germani fratres nobilitate & diuitijs pollentes, in Clarona, vulgò *Claris*, Heluetiorū vrbe habitantes, *Vrso* ac *Landolphus*: ex quibus *Vrso* S. Fridelini piam vitam, & honestam cum discipulis suis cõuersationem videns, suarum possessionum integram partem à fratris patrimonio seiunctam S. Fridelino eiusque cœnobio

dica-

dicauit; scriptisque diplomatibus, perpetuò
 possidendam tradidit & confirmauit. Mor-
 tuo Vrfone cum Landolphus auaritiæ studio
 bona Vrfonis monasterio legata ad se rapere
 conaretur: S. Fridelinus cum eo coram Bal-
 deberto Comite de recuperanda possessione
 egit: Vbi cum videret nihil se effecturum,
 nisi coram iudicibus fisteret Vrfonem dona-
 torem, abiisse vir Dei Claronam dicitur, &
 magna virtute omnipotētis Verbi Vrfonem
 à mortuis resuscitasse, secumque ex Clarona
 ad pagū Rheticum *Rancquill* per sex milliaria
 ipsum adduxisse, vt corā Baldeberto cū fratre
 Landolpho exostularet de iniuria. Landol-
 phus talibus miraculis exterritus, non solū cœ-
 nobio reddidit quod Vrfonis prius fuerat, sed
 suū etiā adiecit. Vrfo cubat Seccingi in dextrā
 chori ad parietē. Fridelinus sepultus fuit pri-
 mō ad sinistrū chori parietē è regione Vrfonis
 postea in summa ara collocatus est; in qua v-
 trimq; Sacra haberi solent. De huius cœnobi
 fundatione & origine exstant tales versiculi:
Prædia pro domino dant fratres hic Fridelino
Tempora post multa, negat alter, fratre sepulto:
Suscitat hunc testem Dominus, ducitq; benignus.
Turba timore tremat: sanctus sua iura redemit.
 Ceterum in Seccingenſi collegio solent esse
 octo Canonice, quibus in Sacris octo Canoni-
 ci subseruiunt. Sic ferè Bruschiſ in Chrono-
 logia monasteriorū Germaniæ.

B 2

CAPVT